

PK. 283

v. Asseburg

X 204403

Za
884

3
 PANEGYRIS
 INFESTIVITA-
 TEM SOLENNITA-
 TIS, QVA VIR NOBILITATE
 GENERIS PRÆSTANTISSIMVS CHRI-
 STOPHORVS IOANNES AB ASSENVRGK
 Sponsam suam pudicissimam lectissimamq; ELISABE-
 THAM Filiam Viri Magnifici & Nobilissimi STA-
 TII à MVNCHAVSEN in arce
 AMFVRTENSI

exceptit:

Observantia ergò transmissa

à

M. IOANNE FORTVMANO ELBINGERO-
 dano Saxone & Scholæ VVernigerodanae
 Conrectore

Anno 1601. X Die Iunij.

MAGDEBVRGI

Typis VVilhelmi Rofsij,

Anno 1601.



30



PANEGYRIS.



*Actenus imbelles elegi mea cura fuerunt,
Sectatusq; fui Peligni compita vatis:*

*Ast nunc majus opus quoddam consurgit in altum.
Heroës heroa decent, & grandia grandes.*

CHRISTOPHOR IANVS de sanguine natus equestris

ASSENBRGIACÆ gentis prænobile germen:

Et flos Nympharum claro sata stemmate sponsa

Scilicet à MONACHIS gestante insigne vetustum

ELISABETHA, sacram cujus sub pectore sedem

Cunctæ virtutes factò velut agmine figunt;

Divorum assensu lecti connubia pangunt,

Divinumq; iterant sacras Hymenæon ad aras.

Hoc vereor parvis elegis committere grande

Pondus, sed pede Mæonio connectere verba

Fert animus. Tantas igitur mihi suggere vires

Musa colens summas Parnassi in vertice sedes:

Nunc adsis animoq; favens illabere nostro,

Dum memoro casti amborum connubia lecti.

Tuq; parens vatum, dignas in carmina vires

Da Phæbe in vestros opus hoc mihi surgit honores,

Vester honos agitur, vobis si carmina curæ

Adsitis, precor, & mea ne mergatur in alto

Cymba, novas ventis quæ nunc vaga fertur in undas.

Vnde sed incipiam? quis erit mihi carminis orsus?

Num thalami? laudes num sponsi carmine dicam?

Hic in diversam flectit sententia mentem.

Conjugij

Conjugij aſt olim cantandi occasio detur,
Hac vice nuptorum per laudes ire juvabit.
Et ſponſæ celebrare decus mea Muſa laboreſ.
Tot rerum, virtutum equidem ſi carmen in unum
Conjectos cumulos dignis evolvere verbis,
Si coner, citiùs numeris concedat arena
Et priùs imponam glaciali BRVCTERON Offæ
Et priùs Ioniæ conabor dicere fluctus.
Si partem ſileo quandam tacituſq; relinquo,
Quicquid erit, magnum & ingens quodcunq; relinquo.
Panditur innumeris campus mihi laudibus ingens
Celfaq; Muſarum laſſant proclivia curruſ,
Sed tamen ire juvat, quò virtus incitat alma.

Ex iſto primùm, quo cepit machina mundi
Tempore, quo primùm mortali ſanguine nati
Nos ſumus, & duros vitæ tolerare labores
Aſſuevit genus humanum, conceſſa bonorum
Non ulli ſors æqua viro; quem gratia vultus
Nobilitat, placidos hic neſcit diſcere mores.
Culti quem mores, animum quem pulchrior ornat,
Corpus dedecorat, ſic nullus parte beatus
Ex omni: deſunt huic ſtemmata priſca parentum,
Quem virtus ornat; contra qui talia jaëtat
Hic virtute caret, diſiſim ſingula quemq;
Commendant, hunc forma decens, hunc ſplendor in armis,
Hunc rigor, hunc pietas, hunc ardor prædicat æqui,
Hunc cepit Sophias, iſtum prudentia juris:

Diversos diversa manent: Non omnia, dicunt,
Possumus omnes, partitum sparguntur in omnes
Quæ tu solus habes, & quæ disjuncta beatos
Efficiunt coniuncta tenes Clarissime Sponse.
Si genus in pretio est, & habet stirps incluta laudem:
Et jaëtat proavos antiquo sanguine clarus:
Si quoq; nobilitas cunctis exordia pandit
Laudibus, atq; omnes cedunt in semina cause;
Quis venerabilior sanguis? quæ major origo?
Quis te non novit claris majoribus ortum?
Dic mihi quem stirpis lateant insignia vestra?
Nobilis arbor erat, fatis conferta secundis
Hic ubi GVELPHIADVM proceres moderamine justo
SAXONIAM terram populosq; in pace gubernant:
Ipsa ingens arbor, populo gratissima nostro
Diffuse ramos & frondes explicat omnes.
Hujus radicem primò fundavit IANVS
ASSENBURGIACAE decus & laus maxima stirpis,
Cui genus à proavis longum, propriaq; decorum
Virtutis nomen, quâ ornatus pulchrior ibat.
Quippe animum stimulis freudentem Martis ad arma
Gessit, & à primis annis innata cupido
Bellorum, exeruit specimen virtutis, & altam
Spem ducibus fecit, belloq; togaq; futurum
Hunc fore præclarum, nec fallit opinio mentem.
Nullus enim, quando fremuerunt classica belli
Pro populo Christi pro religione tuendâ,
Sustinuit tantos in victo Marte labores,

Nec

Nec subijt majora pericla domiq; forisq;
Pluraq; cum Turcis commisit praelia nemo,
Nec tantum Getico portavit laudis ab hoste.

Ergo militia quoniam non aptius artes
Perdidicit quisquam; nec aperto praelia tantum
Campo collatis scivit committere signis:
Verum etiam insidias variis anfractibus hosti
Construere, & caecam castris deducere fossam:
Effectum tandem est, communi ut voce rogatus
Officium acciperet cuneos peditumq;, equitumq;
Ducendi turmas DVCTORIS munere fungens:
Tunc primum eluxit, bello quid vivida virtus
Quid vigor ingenij, quid & armis apta cruentis
Dextera quid posset factis. Nam quantus Orion
Cum graditur pedibus medij per maxima Nerei
Stagna, secans humero cunctas supereminet undas
Tantus erat IANVS, cum diffugientibus instat
Turcis, & talis fulgentibus enitet armis.
Tandem post varios casus, & mille labores
Quos tulerat, tardâ vires minuente senectâ
Hic ubi spumifero per inhospita saxa volutus
Labitur amne Tyras, magno & conterminus Istro
Arva Savus gelidis Hunnorum fluctibus ambit:
Ex hoc decessit, sed non inglorius ævo,
Verum posteritas æternaq; fama loquetur.
Quatuor hic dese ramos protruderat altos,
Quorum semper honos, nomen, laudesq; manebunt
Dum viridi doctæ vivent Helicone sorores.

AVGVSTVS prior est; quo non augustior alter
Flos veterum, virtusq; virum, lux nobilitatis
Si modò sit verum, quem nobilitet sua virtus
Nobilis hic ut sit, non est magè nobilis ullus.
Qualis enim cæli D^eus est: cum surgit olympo
Lucifer, & latè radiantia tela diei
Proijciens cunctas illustrat lumine terras:
Non aliter tua se virtus *AVGVSTE* per omnes
Saxonie fundit radiis lustrantibus urbes.
Consilio polles rerum prudentior usu
Multarum, tua nec te virtus deserit unquam,
Tantum est ingenuas didicisse fideliter artes
Et poliisse animum studiis solerter honestis.
Quicquid enim Latius vel quicquid Grajus Apollo
Continet in sese, hoc *AVGVSTVS* novit ad unguem.
Ah quantum vellem, Phæbi modò numine possem,
Inq; meis venis tantus modò spiritus esset,
Dicere quò possem & versu memorare decente
Quanta sit eloquii ubertas, & florida lingua
Copia, quaq; senem Pylum superare putatur.
Ergò sua clarus non tantum stirpe, sed omnes
Exuperat titulos, & avitæ gentis honorem,
Nobilitatem aliam excellit multis parasangis.
Hunc florere diu Ramum concedite Parca,
Atq; suas frondes diffundere latius, omnem
SAXONIS in terram, sertis halantibus aras
Tunc cingam vestras & munera plura dicabo.
Proximus huic Ramus *LVDOVICVS* germine læto
Fructibus

Fruētibus & variis se infert, foliisq̄, superbit.
Ad varias artes docilem hunc operosa Minerva
Finxit, quam primū vitales venit in auras.
Artibus ingenuis multum ut profecerat, inde
Præstantes didicit manus æmula pingere formas,
Ut multi dubitent, num tales pictor Apelles
Expressit, quamvis cunctam collegerit artem.
Quid memorem? nostro non vivit doctior orbe
Mollia seu facili deducere carmina versu
Quis velit, effigies hominum seu ducere cælo.
Ne quoq; præteream, quod inertī perdita luxu
Otia non voluit patriā traducere terrā:
Multorum mores hominum sed vidit & urbes,
Aëra juxta animum mutavit transmāre currens
Quid sibi vitatu didicit, quid & utile factu
Ingenioq; omni flectendo accommodat, ad se
Cunctorum dum vota trahit, mirā arte loquelæ.
Præterea benè moratis scit moribus uti.
Arva peragravit tumidus quæ rector aquarum
Atq; auro fulgenti interlitus alluit ALBIS.
Vidit & Hectoreā natos ab origine FRANCO S:
Et populos, BURGVNDIONES quos tempora nostra
Indigetant, hinc Liligeri petit advena Regis
Regna & agros, vitreo quos perfluit amne GARVMNA
Atq; tuos vidit sinuosos SEQVANA flexus.
Non equidem tuto florentis tempore pacis,
Hoc iter emensus: sed cum Tyberina tyrannis
Liligerum regem commovit, fædere rupto

Sano

Sanguineâ temerare manu Hymeneia sacra,
Tum furibunda cohors flammis gladioq; metebat
Quos verâ novit Christum pietate professos.
Per loca cuncta, vias, edes (miserabile dictu)
Itur in horrendas cædes, & strata viarum
Plena cadaveribus populi fædoq; cruore
Ceulaniena madent; tantus BABYLONIDO Sæstus
Et spoliare bonis animas & corpora vitâ
Te LVDEVICE tamen prudens à fraude pericli
Eripis, & salvus post tædia longa viarum
Post varios casus natales contigis oras.
Vos trinæ stabili concordēs numine Parcæ,
Hunc servate diu incolumem, & date stamina longa
Vitæ, nec careant, quæ fudi, pondere vota.

Tertius insurgit pendens ex arbore Ramus,
ASCANIVS, de quo magnam conceperat omnis
Spem populus si vidisset maturius ævum.
NON OMNES SORS VN A MANET diversa sed astræ
Nostræ fata regunt vitæ, divina potestas
Quantum permittit, cunctis præfigere metam
Quam scimus, quæ non homini transcenditur ulli.
Qualem etenim violæ, cultoq; papavera in horto
Qualem spem faciunt, fulvis hærentia virgis
Lilia; sed subito demittunt marcida florem
Nec se sustinuisse queunt, ubi nubibus imber
Dedit, & vario pugnant luctamine venti:
Haud secus in primo vernantis flore iuventæ
Ante annos hic deciduus cadit arbore Ramus.

O quantum

O quantam sensit cladem, quantumq; dolorem
SAXONA nobilitas, serui cum fraude peremtum
Hoc decus eximium morti succumberet atræ.
Sic tamen hic cecidit, prius ut relicta propago,
Quæ reparat cladem, foliisq; virere novellis
Efficit hunc Ramum, magnum arboris incrementum:
Scilicet hic noster Sponsus, qui funera patris
Tunc infans luxit, sed nunc adolevit ad annos
Majores, & avi laudes & facta parentis
Iam legit, & quæ sit potis est cognoscere virtus
Nobiliumq; choro stipante Hymeneia ducit
Gaudia, per quorum laudes hæc carmina surgunt.
Sed ne sopitum videar renovasse dolorem
Hæc de patre satis. Quartus nunc ordine Ramus
IANERNESTVS adest, præconia debita laudis
Quæ meruit virtute suâ, fieri sibi poscens.
Qualis ab occiduis surgens nitet Hesperus undis,
Et reliquas cæli superat splendore corusco
Stellas: æquali ERNESTVS splendore renidet.
Hunc genus & virtus & præstans indolis ardor
Et doctrinarum raris inventa Magistris
Copia, jam dudum cæli super æthera vexit.
Dum physicæ abstrusos investigasse recessus
Sive latet Phæbus seu terris altior extat,
Non piget, & causas multarum noscere rerum.
Quod studium antiquis Ægypti regibus olim
Principibusq; hodie multis non ultima laus est,
Tum verò studiis adjunxit sacra prophanis

B

Atq;

Atq; Dei verbo nil est antiquius ipsi.
Dumq; alii insomnes Baccho convivium ducunt,
Atq; meri, per continuas noctesq; diesq;
Exiccant cyathos, diæ quæis particula auræ
Perditur, hic Vatum divina volumina versat,
Et puro lympham Isacidis de fonte fluentem
Haurit, divinæq; suum cor nectare pascit.
Hunc non ebrietas, non iræ flamma furentis,
Hunc nec avara fames auri, prædam sibi fecit.
Insuper in placidos didicit mansuescere mores.
Et sicut celsi manans è vertice montis
Copiam aquæ gratam largitur vena perennis:
Sic largitur opes & splendida munera doctis
Confert, à quibus æterni monumenta reportat
Nominis, in quo nil juris tenet ipsa vetustas,
Omnia quæ in mundo vel sint adamantina rodit.
Hæc modò sufficiunt veteri de stemmate sponsi.
Nunc avus & sponsæ pater & duo sidera fratres
Me revocantq; aliò versum mea carmina ducunt.
Nam licet à multis annis primordia prisca
Sint generis quorum de factis fama superstes
Vivit adhuc, vivetq; in secla profunda nepotum:
Attamen illorum titulis factisq; relictis
Hic labor incipiat per avi præconia primus.
Hic vir hic est, cujus latè producere famam
Si nihil egisset propriæ virtutis & artis
Ipsam quod vulgi plebeis eximat umbris:
Sufficeret natus STATIVS. Sed qualis in armis

Et

Et quantus bellator erat, qui Pergamam ^{ci} arcum
 Hæctora quadrigis vexit Chironis alumnus:
 Talis erat justam quoties surgebat in iram
HILMARVS, tantusq; fuit victricibus armis.
 Ille puer primis Marti sacratus in annis
 Militiæ studium sectatur ad ultima vitæ
 Momina; tanta fuit iuvenisq; viri triumphans
 Virtus grandæviq; senis mens ardua semper.
 Huic non luxuries bello, nec blanda voluptas
 Castrorum curis visa est pretiosior unquam.
 Fidus erat socius **GVELPHI HEINRICI IVNIORIS**,
 Qui veteri nomen **BRVNONIS** ab urbe gerebat,
MARCHIACO cum tutabatur ab hoste colonos,
 Quos **OCARIS**, rapido quos alluit amne **VISVRGIS**.
 Eligitur tandem ob rarum virtutis acumen
 Dux & præfectus belli in discrimine summo.
 Et qualem contra Geticum se præstitit hostem
 Sponsi avus, & fortis quanta vi restitit armis
 Barbaricis; Christi pro relligione tuendâ:
 Tantâ **MARCHIACVM** repulit virtute furorem
 Sponsæ avus, & tanta vi fortis restitit armis
ALBERTI, patriæ pro libertate tuenda.

Est arx, cui vel Teutona lingua vel ira deorum
 Nomen **PEINA** dedit, circa quam **LINVS** oberrat
 Atq; suo cursu vicinos irrigat agros;
 Non procul inde jacet viridanti gramine campus:
 Hic **LEO BRVNSVICENSIS** adestq; fer ocior armis
MAVRITII socijs, quem jaçtat **MISNICA** tellus,

B 2

Et

Et vindex patriæ ALBERTO ruit obvius hosti,
Cui pectus bellis assuetum & fortibus armis,
Nec tùm deficiunt vires, nec pondera verbis
Desunt: namq; minas comitantur strenua facta
Magnanimis tantùm eventus non convenit ausis.
Iamq; acies ferro mortiq; utrinq; paratæ
Expectant tumidosq; acuunt in corde furores.
Tympana sed pugnae quam primum signa cruenta
Produnt, & raucis clangoribus æra tubarum:
Præcipitem proni rapuere in prælia cursum.
Primò multiplici tormenta fragore sonabant,
Crebraq; projectant fumantia sulphure saxa,
Multa quibus passim mittuntur funera letho,
Perq; agmen magnam lato dant ore fenestram:
Cumq; furor tormentorum deservit, ingens
Exoritur clamorq; virum clangorq; tubarum;
Concurrunt subito, strident hastilibus auræ:
Tum quacunq; ruit longo dat limite sulcum,
HEINRICVS, gladioq; viam sibi pandit apertam.
Atq; leves sicut bove conculcantur aristæ:
Sic dextrâ princeps prosternens fulminat hostes.
It comes HILMARVS, & adhæret principi, ab ipso
Nec se diuelli patitur, sed cominus unus
Assistit GVELPHI vestigia ponè secutus,
Ingentemq; facit conuersa per agmina stragem:
Quiq; petunt dominum stricto transverberat ense.
Amplius hanc sortem ALBERTVS sufferre nequibat,
Sed fugit, & GVELPHO cessit victoria pugnae.

Tanta:

Tanta fuit virtus **HILMARI** tempore belli,
Non minus aptus erat tranquillæ ad commoda pacis,
Martia nec posuit præ laudibus arma togatis.
Non ipso quisquam longo prudentior usu,
Nullus consilio major, præstantior arte.
Iudicij assessor novit, quid publica moles
Quid res privata ferat, sapiens dicendo, silendo.
Præcavit casus, pepulitq; nocentia damna.
Pauperibus mitem se præbuit atq; benignum,
Acer erat scelerum vindex, & tutor honesti
Attamen & doluit, si quando parcere fonti
Non posset, piger ad pœnas, ad præmia velox.
Hujus honos omni mansurus tempore vivet.
Dum cælum stellas, dum tellus robora habebit,
HOLTEMA dum flavas provolvat littore arenas.
GVELPHIADVM ô quantam passa est respublica cladem,
Emeritam ut clausit supremo fine senectam.
Nunc ad te **STATI** delabitur ordine carmen,
Sed paucis peragam. Nam virtus est sibi laudi
Ipsamet, & merces, hederâ quoq; nil opus altâ
Vendibili Baccho. Ergo sequar fastigia summa
Rerum, plura vetat pudor & reverentia vestri.
Tu dignus genitore tuo, te digna parente
Filia, **CHRISTOPHORO IANO** quam fœdere jungis
Conjugii, felix genero, felicior ille
Te socero, quisquis cui supplice surgit honore.
Tu patris meritos conaris vincere honores:
Namq; sago quantus fuit ille, & turbine Martis:

B 3

Talem

Talem nempe togâ te præbes pacis ad artes.
Tu fons, unde sibi res privata & publica potum
Largiter exhaurit, atq; in sua commoda transfert.
Nec solùm propriâ præcellis laude parentem:
Sed quoq; jamdudum procero corporis auctu
Vicisti fratres, majoriq; augmine mentis.
Tu **CVBITIS ADOLEVISTI**, (quod fabula dicit)
Et superas reliquum editiori vertice vulgus:
Nec minùs & genio cunctos superasse laboras.
Grata magis longo resplendens corpore virtus:
O generosa habitans generoso in pectore virtus:
O præcelsa habitans præcelso in corpore virtus.
Nec tua degenerat suboles, verùm acrius instat.
Ne pereat tam priscus honos, & gentis ævitæ
Gloria, quâ longos floret cumulata per annos.
Sic nunquam peperit volucrum regina columbam,
Nec tygris leporem, nec ovem genus acre leonum.
Numquid Thersiten genuit bellator Achilles?
Numquid habet Turnus gignendi semina Drancis?
In gnatis tantum refert innata parentum
Virtus, & num quis forti sit patre creatus.
Vos, inquam, sponsæ fratres, **STATIq;** propago,
HILMAR ERNESTVS cum fratre **ERHARDO OTHONE**:
Ad vos devenio; fulgentia gentis ævitæ
Sidera; sed queo vix tantæ me accingere moli.
O vos ô Ledaë gemini concedite fratres,
Tu qui fidis equo Castor, tu cæstibus alter
Insignis Pollux, quamvis de stirpe Deorum

Prognatis

Prognatis vobis pater assit Iupiter ipse:
Nescio quid majus præstent hæc sidera nostra.
Cura prior vobis pietas: hinc proxima surgit
Ire per ingenuas artes Phæbiq; recessus
E quibus humane præcepta salubria vitæ
Novistis, quid honestum sit, quid & utile, quid non.
Et dignum imperio, quæ reddant munia, quæ non.
Hinc plures Academies in Teutonis orâ,
Lustrastis, doctisq; extructa sacraria Musis.
Principio IENAM, MILII quam fama celebrem
Efficit, & nomen REVSNERI terminat astris.
Post, cui fecerunt argenti nomen ab ære,
Vrbem vidistis, defuncti pulpita STVRMI
Quam decorant, mittuntq; ad secula sera nepotum.
Hinc BASILEA petita fuit, quâ Rhenus oberrat
Et RAVRACORVM cursu discriminat agros:
Hic olim humane vitæ conscripta theatra
SVVINGERVS legit, totumq; emisit in orbem.
Sed nunc Francigenæ populosa LVETIAGENTIS
Detinet, & vos multiplici induit arte Themistos,
Atq; animo instillat monitus, quos BARTOLVS, & quos
BALDVShabent, ambo juris legumq; columna.
Pergite sic humana precor diuinaq; jura
et Discere, sed his studium recti coniungere & æqui,
Nec vester clara conatus laude carebit:
Olim tempus erit, quo maiestate decoros
Concilioq; ducum insertos vos vivere cernam.
Sic, quantum ingenij tribuit concessa facultas,

Sponsorum

Sponsorum cecini proavos & nobile stemma.
Plura quidem cuius virtus majoraq; poscit,
Sed mea nunc tendunt ad lætum carmina portum
Indomito defessa mari: & quàm curta supellex
Agnosco ingenii data sit, tùm deficit omne
Tempus, pars ejus teneræ est concessa juventæ
Maxima, quæ nostro venit instituenda labore.
Plura canant, quibus Aonius feliciùs humor
Funditur, & faciles præstant se in carmine Musæ.

Nunc inopes ultrà Musæ nil addere possunt
Præter vota, ac hæc ut sint rata, numen adoro;
Labe vacet, prole & numerosa lectus abundet,
In quâ tùm patris luceat, tùm matris imago:
Hæc formâ? ille animi virtute & fortibus ausis.
Et pater in Pylios, Cumæos mater in annos
Vivant, nec veniant longæ fastidia vitæ:
Vos bona fama hominum, vos numen amore sequatur,
Sive moram terris, seu ducitis æthere in alto.
Vera precor fiant nostræ præfagia mentis.

F I N I S.



La 884 QK

V077

M

QK. 283

v. As

3 PAN
 INFES
 TEM SO
 TIS, QVA V
 GENERIS PRÆS
 STOPHORVS IOA
 Sponsam suam pudicissim
 THAM Filiam Viri M
 TII à MVN
 A M F

Observant

M. IO ANNE FOR
 dano Saxone

Anno 16



MAG
 Typis VV
 A

